

(X 190.4177)

II n
3148

B. V. D!

HISTORIA HAMELENSIS;

Sive

DISSERTATIO

De

INAUSPICATO

LIBERORUM HAMELEN-
SIUM EGRESSU,

Sub

PRÆSIDIO

M. THEODORI KIRCHMAIERI

Facultatis Philos. Adjuncti,

Publicè defendenda

ab

NICOLAO NICKENBERGER

Kirchenlamizo - Varilco, SS. Theol.

& Phil. Stud.

Ad diem 18. Januarii Anno c 10 100 LXXI.

In Auditorio Majori, Horis consuetis.

WITTENBERGÆ,

Literis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. LXXVII.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

INSTITUTUM
DIPLOMATICO
LIBRORUM HAMELEN
THEODORI KIRCHMANN

So.



Verum de VERITATE, quam, profundo puteo immerfam esse finxerat, *Democriti* (α) effatum qui trahere in diversum ausit, vix quenquam fore, arbitror. In alto enim ista, uti hinc rectissimè in unum congruunt *Seneca* (β) & *Macrobius*, (γ) involuta latet. Penitentur historiae, & hoc fati dispalescet. In eadem re narranda Scriptores inter se ut plurimum discrepare; alios ingenii impetu, seculi torrente alios ad mendacia abripi, quis inficietur? Vera falsis confudisse quosdam, sparsosque rumores & excepisse & illevisse chartis (δ) quotusquisque est, qui ignorat? Nec *χρὲς καὶ πρῶτον* hoc accidit, sed jam olim. His tamè utcunq; tolerandis concedi posset venia: Verum modò patefiat tandem. Ast in consuendis variarum narrationum nugamentis, vanioribus ac in somno vidit *Luciani* gallus, bonas horas dilapidasse viros egregios, quis femur non percutiat? Quis non excretur diaboli veriùs clientes illos, quàm homines, qui excogitatas à se fabulas, eò instituto, ut in errorū præcipitia abripi possent alii, aspergere sesamo ac pa-

(α) *Cic. l. 4. acad quest.*

(β) *Senec. l. 7. de benef. c. 1.*

(γ) *Macrobi. l. 1. in somn.*

Scip. c. 3.

(δ) *Melch. Canus l. 11. loc. comm. c. 6.*

(s) *Sunt verba
Imp. Leonis
in Novella 76.*

(z) *Tacit. l. 4.
Annal. c. 90.*

(n) *Plinius l. 7.
Epist. 33.*

pavere, vel elegātis styli plumis vestire, nulli du-
bitarunt? Et hoc institutum est omniū falsario-
rum, (ε) ut falsum veritatis specie tegant, & sup-
positas suas merces incautis obtrudant. Norunt
sc. ingeniosè mali, posse artificii concinnitatem
variis velatam & fucatā mendaciis, vacuo curis
& sine falsi veriq; discrimine vulgo (z) facilè im-
ponere. Si admitterētur ut fabulæ duntaxat hu-
jus farinae narrationes, parum esset: tanquam hi-
storiæ creduntur. Occurrunt tamen etiam, de
quibus cum ratione ambigas, utrum historiis,
an fabulis accēsendæ sint? Hinc, cum non osten-
tationi, sed fidei veritatiq; componatur historia,
(n) homine sagaci, qui uni veritati & sedulæ ejus
investigationi auctoravit se, est opus, ut rectoriū
mendax submoveri, ac veritas sub eo latitans
produci in apricum possit. Hujus enim præsidio
nisi suffulta fuerit ista, similis structuræ erit, quæ,
quando destituit fundamentum, primò mina-
tur ruinam, & postea collabatur. Plura non addo.
Hâc vice saltē in illam, quam vel puer audivi pro
concione olim, *DE INAUSPICATO LIBERORUM
HAMELENSIUM EGRESSU*, narrationem, pro genii
ingeniiq; modulô, paulô diligentius inquiram.

SECTIO

SECTIO PRIOR.

Argumentum.

- §. 1. Urbis Hamelensis situs, Erymon, antiquitas & incunabula panduntur.
- §. 2. Priscus sistitur ejusdem Magistratus, simulq; tempus evolvitur, in quod infausus ille puerorum exitus legitur incidisse: Dein, formatô controversiæ statui, adducuntur diverse opinionis Autores nonnulli.
- §. 3. Testimoniorum tenendus ordo indicatur.
- §. 4. Historia enarratur ex Wiero, & aliis, prolixiusculè.
- §. 5. Res gesta itidem, sed peculiaribus ex Kirchero circumstantiis, exponitur; additô Anonymi cujusd. Epitaphio.
- §. 6. Hondorff. Büchner. Fintel. D. Selnecc. Calvisius, testesq; alii adducuntur.
- §. 7. Annales vetustiores, iidemque domestici, vocantur in testimonium.
- §. 8. Monumenta vitrea, lapidea, lignea &c. tanquam clariora hist. hujus indicia subjunguntur. Imponit finem sectioni huic Erichii Epigramma.

§. I.

IN Ducatu Brunsvicensi, ad opulentum fluvium Visurgim, posita est nobilis ac celebrata *Hamelensis Urbs*. Ut à saltu propinquo *Hama, Hamburgum*; sic à vicinâ *Hamelâ*, fluente, quod in Visurgim se exonerat, nomen ipsam autumant traxisse. Alii celebrem *Villam*, nec non *Hameloam* (*Hamelaw*) ob soli foecunditatem & amœnitatem loci vocari eam, monent. *Quern-Hameln*, à voce *Quern*, Saxonibus Belgisque molam trusatilem notante, dicitur. Hujus indicium, in moneta etiam, per sua adhuc insignia referentia molarem lapidem, exhibent Hamelenses. Urbis Nates ad A. C. 823. adeoque *Ludovici Pii* ætatem referunt nonnulli; alii ad tempora *Caroli M.* verè, an falsò, dubium. Locum tamen hunc, *Lothario, Ludovici Pii* filio, imperante, fuisse subobscurum adhuc, certum. (1)

A 3

§. II. *Slavorum. c.*

(1.) *Conf. Hel-*
moldi Chron.
Slavorum. c.

43. Bünting.
 Chron. Brun-
 swic. pag. 63.
 it. Schoock. in
 Fabul. Ham.
 p. 7. Erich. in
 Exodo Ham.
 p. 45. seqq. ci-
 tandi dein-
 cepti sepius.
 (2.) Schoock.
 p. 8. Erich. p.
 49. ll. cit.
 (3.) Tract. de
 Conjug. Cleri-
 corum.
 (4.) part. 3. Re-
 rum pub. Han-
 seat.

§. II. A-Fuldensi Abbate, ad quem pertinuerat primitus, circa A. C. 1259. Episcopo Mindensi venundata; exortis dein- bellis, in domum Brunsvico - Luneburgicam (quod anno circiter 1261. contigisse creditur,) urbs tandem transiit. Occæperat ma- gistratum *Magnus Albertus*, Dux: quò fati functò, filius natu major, Dux *HENRICUS Mirus*, A. 1279. in fidem Hamelam re- cepit. (2) Sub hujus regimine, circiter anno octogesimo quarto, supra millesimum ducentesimum, die *Johannis & Pauli*, (est vi- gesimus sextus Junii,) inauspicatus aliquis circulator pueros puellasque tenerioris ætatis, centum & triginta, qui ad suos nun- quam redierint, ex urbe Hamela magico susurro evocasse, hinc inde perhibetur. *Quid de eo sit habendum?* quæstio vertitur. Historiam esse, communis omnium ferè est & fuit hætenus sen- tentia. Inter Scriptores ita statuunt *Wierus*, *Büntingius*, *Hondorf- fius*, *Kircherus*, *D. Calixtus*, (3) *Angelius à Werdenbagen* (4) & alii. Pro eodem asserendo CL. M. *Samuel Erichius*, in tractatu Germa- nico (prodiit Hannoveræ Anno 1665. sub titulo, *EXODUS HAM- MELENSIS*) judicium, diligentiam ac zelum prodit non ἀλογον. Divortium tamen ab his facit Celeberr. *Martinus Schoockius*, Pro- fessor quondam Gröningæ, qui non incertus modò, sed contra- rius apertè est. In *FABULA* enim *HAMELENSI*, (sic inscribit libel- lum,) totam illam narrationem commentitiam esse, ostendere allaborat.

§. III. Antequam inquiramus altiùs in rationes partis utriusque, ea, quæ historiam ipsam, cum omnibus circumstantiis exhibere possunt, in antecessum allegare convenit. Ut ne verò sine ordine hoc fiat, dabimus primò Autores potiores: suffra- gia deinde antiquiora; aliaque postremò monumenta in medium afferemus.

* libr. 1. de
 Præstig. Da-
 monum. c. 16.
 p. 80.

§. IV. Audiendus hîc *Job. Wierus*. * *Tibicen quidam* (inquit) *Ha- melæ Brunsvicorum ad eliciendos glives conductus, sequenti rependit facinore ingratitude, cum illi ex pacto non satisfaceret. Anno siqui- dem millesimo ducentesimo octogesimo quarto, die vicesimo sexto Ju- nii, hunc tibicinem omnicolorum nuncupatum, ob vestis varietatem,*
 centum

centam & triginta pueri per plateam inde nomen, ut a^udies, sorti-
tam, non procul extra civitatem, usq³ ad calvarie locum sub Koppen
nuncupatum, ad viam communem Boream versus situm, secuti periê-
re, nec unquam postea apparuere. Hec ita in Annalibus conscripta,
Hamelæ in archivis religiosè custodiuntur: leguntur & in libris tem-
pli sacris, atq³ in ejusdem vitris picta conspiciuntur: cujus rei ocula-
tus equidem testis sum. Vetustior præterea Magistratus in historie
hujus confirmationem suis codicillis publicis inscribere solet conjun-
ctim, Anno Christi &c. Et exitus puerorum anno &c. Observatur
verò in hunc usq^{ue} diem ad perpetuam rei gestæ memoriam, quod
tympani sonitus nunquam in eadem admittatur platea, per quam
egressi pueri, si fortè isthinc aliqua educitur Sponsa, donec ex illa
exierit: nec etiam choreæ in eadem ducuntur. Hinc & nomen con-
secuta est platea, Bunge losé Stras. Manè post septimam horam con-
tigisse hoc fertur, & fuisse in puerorum numero consulis filiam tum
plenis nubilem annis, quæ simul evanuit. Puer verò quidam non-
nihil secutus, nedum vestitus, volens suas adferre vestes, rediit do-
mum, interea autem evanuerunt omnes exigua fovea colliculi, quæ mihi
ostensa est. En diabolum tibicinem sanguinarium! Hactenus Wie-
rus. Consentit post alios multos M. Henr. Büntingius, qui non
procul ab Hamela patriam olim sedem incoluit. (5.) Condit ejus
laudes Job. Micrelus in Catalogo Doctorum Evangelicorum se- (5.) in Chron.
culi Lutherani, (6.) paucis, sed nervosis verbis; Itinerario bibli- Brunsvic. (edi-
co, Harmonia Evangelistarum, Chronologia & accuratâ Eclipsium, to Ann. 1584.)
recensione ita inclavit, ut nomine fortunam superasse videatur. part. 3. pag. 52.
(6.) lib. 3. Syn-
Consentiunt quoque Adalarus Erichius (7.) Henr. Cornmannus, tægm. Hist.
Hassus, in MONTE VENERIS (ita inscriptus tractatus est) sub sect. 2. qu. 48.
titulo: De monte prope Hamelam, urbem Saxonie, in quem CXXX. p. 36.
pueri ingressi & nunquam postea visi.

§. V. Curiosus atq^{ue} operosus Jesuita, Albanus Kir- (7.) In Chron.
cherus (8.) miram hanc historiam sequentibus exponit: Supra suo MS. libr.
quam dici potest, mirum quippiam accidit in Hamelia, inferio- XIX. cap. 25.
ris Saxonie oppido ad Visurgim sito. Historia ita habet, Cum in- (8.) In Musur-
Tom. 2. libr. 9.
dige- cap. 3. pag. 232.

digena eo anno ingentibus murium soricumq; agminibus infestaren-
tur, malumq; in tantum cresceret, ut nihil ferè sive fructuum, sive
segetum, quod soricum rosionibus non esset obnoxium, reperiretur,
ac proinde varia de tam importuno & pernicioso malo tollendo con-
silia agitantur; interea derepentè vir quidam invisus antehac &
stature prodigiose comparuit, qui mox, quicquid murium eo in-
districtu esset, confestim sublaturum, dummodo de certâ pecunie sum-
ma cum eo paciscerentur, pollicitus est. Dictum factum. Promissâ
mercede dictus vir extractâ ex pera, qua cinctus erat, fistulâ, simul ac
insonuit, ecce ingentia murium ex omnibus domorum angulis tecto-
rumq; crepidinibus, foraminibus pavimentorum prorumpentium a-
gmina insolitum illum Aulædi sonum ad flumen usque sequuntur.
Aulædum ibi succinctâ veste flumen ingredientem sorices secuti unâ
ibi omnes voluntariâ submersione extinguuntur. Vir, peracto in-
cantamento, postulat mercedem condictam; verum cum cives de sum-
mâ promissâ tergiversarentur, minacibus illos verbis increpuit, nisi
mercedem darent, futurum, ut aliam exigeret mercedem multò pro-
missâ graviolem. Minæ risu exceptæ; postero verò die circa meri-
diem denuò vir dictus comparuit habitu venatoris, vultu terribili,
purpureo inusitata compositionis pileo, fistulamq; aliam longè à priori
diversam simul ac insonuit, ecce omnes pueri totius oppidi à quadri-
ennibus usque ad duodecennes egressi, prodigiosum sonum secuti
sunt. Est autem extra oppidum in monte quadam caverna; in hanc
unâ secum omnes pueros duxit venator. Atque ab eo tempore nul-
lus unquam puerorum comparuit, nec unquam rescitum deinde, quid
cum pueris actum sit, quò abierint? Hòc tam mirifico eventu totum
oppidum suis viduatum filiis annos suos computare in hunc usque
diem solet **A FILIORUM NOSTRORUM EGRESSU.** Fui & ego
in eâdem urbe, montem ipsum vidi, & historiam minutâ pictura in Ec-
clesia exhibitam summâ admiratione contemplatus fui. Queritur
igitur, quisnam ille sonus fistulae tantæ virtutis fuerit? Resp. haud
dubiè demonem fuisse, qui occulto Dei iudicio fascinosos pueros
in aliam orbis partem transtulerit. Nam Chronica Transsylva-
nia testantur, circa idem tempus in Transsylvania ignotæ lingvæ
pueros derepentè apparuisse, qui & ibi sedem figentes linguam suam

ita

ita promoverint, ut in hunc diem Transsylvani non alia, nisi Ger-
manico-Saxoni calogantur. Hæc prolixiusculè Kircherus. Ex
quo Schottus deinceps & alii desumserunt; utut in aliquibus cir-
cumstantiis discrepent ab ipso. His accedunt Luca Lossi, per
multum tempus Gymnasii Lunæburg. moderatoris; & M. Han-
nibal. Nulleji, qui multis abhinc annis Scholæ Hamel. præerat,
doctissima, quæ extant de pueris montem Hamelæ ingressis car-
mina. Poëtarum calculô Historiæ fidem firmaturi, fallor, an in-
juriæ. Disticha illa cum M. Laurentii Culmani Hexametris (9) (9.) In sua
tutiùs omittentur fortè. Non possum tamen temperare mihi, describe. urbis
quoniam eruditum istud Anonymi, ex Erichio, Epitaphium, quod ita Hamel. p. 19.
habet, hæc transcribam:

Urbs Hameloa tuos gemitu gemibunda requirit,

Abduxit quondam quos lacrymosa dies,

Centum & triginta absorpsit, ceu vasta varago,

Una dies, sed non reddidit ulla dies.

Romæ olim bello, sed aperto Marte, cruentos

Tercentum Fabios abstulit una dies.

Hos autem pueros mistim parvasq; puellas

Bello non aptos abstulit una dies.

Quàm gravis ergò fuit Roma per atria luctus,

Tàm gravis hic dolor est, urbs Hameloa, tuus.

Forfan ad Antipodas sectæ per viscera terræ

Ivère, ac ritus instituere novos.

Saxoniamq; novam, contra vestigia nostra

Nitentem, lingvis excoluere novis.

B

Ast

*Ast ego nil statuo certi, --vv: saltem
Hoc dico summi iudicium esse Dei. &c.*

§. VI. Alii dant alia. Memorat de re gesta *Hondorffius* Promptuar. Exempl. in exemplis quarti præcepti, sub titulo; De educatione liberum, (10) ita per interpretem *Philippum Lonicerum*; Annis abhinc fermè trecentis, in Saxonie oppido *Hamel*, *Satanas* humanâ assumta specie, per vicos civitatis circumvagatus, res ludicras exercens, multos tam pueros, quàm puellas ad se pellexit, quos cum extra civitatis portas in montem proximum abduxisset, unâ cum iis disparuit. Quod cum per puellam, quæ à longinquo secuta fuerat, civibus significatum esset, magnâ curâ in fluviorum ostiis, portibus, totâq; regione liberos suos inquisivere: sed nemini unquam scire licuit, quonam abducti fuissent. Quæ Historia in annalibus præmemorate civitatis annotata & descripta à multis præclaris viris est

(11.) In Epit. lecta. *Wolffg. Bütnerus*, (11.) præter *Hondorff*. laudat testes alios, *hist. super 4. præcept. p. 267. n. 269.* utp. *Jobum Fincel*. (12) quem & ipse secutus *Hondorff*. est; & *Dn. D. Selnecc.* summum quondam *Lips. Theol.* (13.) *Setbus Calvisius* in *Chronologia* hifce rem declarat: *Clades Hamelensium accidit hoc (1284.) annò, die Johannis Pauli, sive 26. Jun.* Dum enim cives *sacram concionem audiunt, is, qui mures & rattos flumine merferat, nec satis pecuniæ acceperat, pueros centum triginta urbe educit in-*

(12.) *lib. 1. de miracul. c. 4. lit. a.* *vallem Koppelbergiam, ubi monte obruuntur.* *Histor. Hamel.* Adde- re his possemus, quæ habent *Godofredus Schulzius Lübecensis* in *Chronico, Petrus Albinus* in *der Berg Chronica, Cluverus* in *Chronologia, Camerarius*, (14) *Job. Latius, Batavus.* (15.) Verùm, cum & ipsi inter se, & jam citatos minimè disconvenient, labore meritò supersedemus.

(13.) *Instit. Christian. part. 1. p. 291. & Cõment. in Genes. p. 79. p. 112.*

(14.) *Cent. 2. medit. hist. c. 12*

(15.) *Compend. hist. univ. periodo Franc. c. XIX. sect. 1. sub finem.*

(16.) *Chronolog. Imp. parte 4. p. 171. invita Caroli IV,*

§. VII. Consentiant suffragia antiquiora etiam, *Saxonum enim antiquorum Chronicon*, (cui hîc autoritas neutiquam detrahenda,) & speciatim quidem quadringentesimam decimam nonam ejusdem paginam, *Michaël Saxo*, (16.) cum narratione delibasset causam, appellat. Adde, quòd historia in pervetusto libro quòdam, qui ad hunc diem usque, antiqua inter monumenta, *Hamelie* asservatus est, rubricâ notata & descripta prescius, hõc
lega-

legatur modò: Anno Christi 1284. Am Tage Johannis des
Leuffers / wann sonst das junge Volck / altem Ge-
brauch nach / eine sonderliche Johannis Freude zuhal-
ten pfleget / ist ein wunderbarlicher und unbekandter
Ebentheurer / in bunten seltsamen Kleidern kommen /
auff der Gassen auff und nieder gangen / und mit einer
Pfeiffen und mancherley Poffen viel Kinder zusammen
bracht / und endlich derselben 130. zur Stadt hinaus ge-
führet / also / daß niemand wissen und erfahren können /
wohin solche Kinder möchten kommen seyn. His tandem
pondus addit *Hamelense Chronicon*. De quo ut constet rectius,
id, si repetere altius velimus, ex anno Epochæ Christianæ 707. ini-
tium duxisse, & fideliter ad Ann. 1589. usque, per textum fuisse po-
stea, sciendum. (17.) Hoc ergò Chronicon *manuscriptum &*
rhythmicum ad A. 1284. d. Job. & Pauli, rem omnem omnibus cum
circumstantiis, ordine sic exponit:

(17) Conf. E-
rich. lit. p. 23.

Hie kan ich nicht vorüber gehn /
Weil ich muß auff die Jahr zahl sehn /
Der Kinder Ausgang zuvermelden /
Die viel Leut vor ein Fabel schelten /
Auch etlich wollen achtn dafür /
Wie ich an denen warlich spür /
Es sey geschehn wie diese Stadt /
Noch nicht gehabt einen Senat /
Und einem Dorffe gleichet sich /
Das aber kan nicht gläuben ich /
Dieweil doch Herzog Albrecht Frumb /
Die Stadt zu seinem Fürstenthumb /
Bereits gerückt und adjungirt /
Den andern Städten gleich geziert /
Mit Bürgemeister / Rath und Gemein /
Was einer Stadt zughöret fein ;
Das wil vor digmal sechten nicht /
Nur geben von der Sachn Bericht.

B 2

Abte



Alhie kont man die losen Rahn /
So wenig durch Siff als durch Rahn /
Vertreiben / darumb ward bedacht /
Wie ein Kunst wird zuweg gebracht /
Dardurch sie allesamt ertäufft /
Und in die Wäser gar ersäufft.
Biß sich herfand ein Wundermann /
Mit bunten Kleidern angethan /
Der pfiff die Mäuß zusammen all /
Ersäufft sie in der Wäse zumal /
Da man ab nicht wolt gar bezahlen /
Was ihm ward zugesagt vormaln /
Wie hart er auch den Raht besprach /
Der Stadt drawet sein Zorn und Rach /
Daß er heimlich für der Gemein /
Nur auff den Dorff kont sicher seyn /
Und eben umb dieselbig Zeit /
Johann und Paul feyrten die Leut /
Derhalben in der Kirchen sassn /
War der Mann wieder auff der Gassn /
Und führt mit sich hinaus geschwind
Dreißig und ein hundert Kind /
Zur Pungelosen Strassn hinaus /
Hieß wohl bezahlt die Raß und Mäuß /
Unter dem Berg Calvariã
(Das Hals. Gericht allda versteh)
Wurdu sie verlohren an dem Tag
Mit ihrer Eltern Weh und Klag.
Erschrecklich ist wol dieser Fall /
Wie es hat ein Rumor und Schall /
Durch alle Region und Land.
Doch wann man Gottes starcke Hand
Betracht / und sein gerechten Zorn
Regn unser Sünd sind wir verlohren / etc.

Rhyth-



Rhythmos similes, sed æqvè prolixos, huic narrationi *Heinr. Kornmannus* subdit. Qvi, præter alia, edocent, senatum Hamelensem & picturâ in Templo jam semel reparatâ, & novâ Epochâ ad seros usque posteros propagare voluisse egressus hujus memoriam.

§. VIII. Ad reliqua pergimus monumenta. Primas *fenestra in templo*, quod foro adjacet, ortum spectanti tribuimus. In illâ & historia depicta, & sequentis rudera inscriptionis deprehenduntur :

AM DAGE JOHANNES
 UND PA-LI - - -
 SINT BINNEN - - -
 HAMMELEN GE - - -
 BAREN THO-K - - -
 VARIE UNDE - - -
 DORCH - - -
 ALLERLEI-GE - - -
 DEN KOPPEN - - -
 - - -
 ANNO 1572.

Vitreæ huic in Templo Hamel. picturæ congruunt, quas præter picturas similes, in ædibus publicis & privatis quibusdam invenire est, historiæ ejusdem expressiones lignæ & lapideæ.

Secundas damus *Porta nova*, ut vocant, quæ introeuntibus sequens obvertit, ad latus dextrum, Distichon :

*Centum ter denos cum Magus ab urbe pueros
 Duxerat ante annos CCLXXII. Condit a porta
 fuit.*

Adstipulantur huic alia indicium historiæ facientia. In ædibus ad forum sitis incisa majusculis literis hæc habentur verba: *Anno Christi 1284. am Tage Johannis Pauli/ist gewesen der 26. Junii - - C. und XXX. Kinder aus der Stadt verleitet in der Stadt Hameln.* In ædificio alio, eoque publico, ejusdem tenoris rhythmici ostenduntur.

Non posthabendi tandem, quos Hameliae in Cœnobio S. Boni-
facii legere datur, versus antiquissimi:

Post duo CC. mille, post octuaginta quaterq;
Annus hic est ille, quo langvet sexus uterq;
Orbantis pueros centumq; triginta Johannis
Et Pauli caros Hamelenses non sine damnis.
Fatur ut omnis, eos vivos Calvaria sorpsit.
Christe tuere tuos, ne tam mala res quibus
obsit.

Hos in veteri membrana se invenisse Vir CL. Heinr. Meibomius te-
restatur in historia *Bardevici* sub finem, sequenti cum præfatione:
*Anno millesimo, ducentesimo, octuagesimo quarto, in die Johannis
& Pauli, perdidit Hamelenses centum triginta pueros, qui in-
traverunt montem Calvariam. Maria audi nos, nam tibi Filius
nil negat.*

Omnium horum fidem an jure infirmet Schoockius? dein-
ceps innotescet. Nos interim caput obfirmamus *Erichii* illâ ad
Autores *προςΦωνήσας*:

*Aut verum, aut falsum est, quod ad unum
scribitis omnes,*

Et velut Historiam commemoratis, opus:

Si falsum, miror, quis vos deceperit error?

Sin verum, ecquare est suspiciosa fides?

Ast ego non video quâ prodehere falsa queatis;

Historiæ est verum dicere, & Historici.

SECTIO

SECTIO POSTERIOR.

Sylloge.

- §. 1. *Utrum omnia, quæ fabulæ speciem in historiis præ se ferunt, promiscuè rejicienda? N. Laudatur judicium Balduini.*
- §. 2. *Accommodatur sermo ad præsens negotium. Schoockii pro negativa rationes sistuntur.*
- §. 3. *Quæ in hist. particularis examine aliàs prolixè tractari solent, paucis declarantur.*
- §. 4. *Obviam itur primo Schoockii argumento, quod à Scriptorum silentio ducitur.*
- §. 5. *Tertia ejusdem ratio contraria expenditur; elidunturq; objectiones aliquot.*
- §. 6. *Vindicantur monumenta, quædam, inprimis Hamelense Chronicon, ab exceptionibus Schoockii.*
- §. 7. *Annalium existentia & fides contra adversarium astruitur.*
- §. 8. *Agitur de Epocha Hamelensi.*
- §. 9. *Quàm facile potuerit egressus hujus memoria per unum, alterumq; seculum conservari, ostenditur.*
- §. 10. *Medium Schoockii argumentum solvitur.*
- §. 11. *Nostra è præfationis subjicitur, & coronidis loco pauca alia de pueris, qui in Transylvaniam abducti perhibentur.*

§. I.

Veritatis exuvias falsa sæpè induunt. Indutas aptant sibi ex arte ita, ut veri specie decipiant (a.) *Ultimam tam facile liceret vera invenire, quàm falsa convincere! Cicero exclamat.* (b) Nos non item. Non deteguntur quovis tempore, quæ falsa sunt: non eruuntur, quæ vera. Multùm sæpius sudandum, ut larva detrahatur rebus: ut scoria ab auro separetur. Id verò omne non fabula est semper, quod fabula apparet. Plura historici referunt, quæ excedere videntur fidem. Sed num id propter ut inania prorsus rejicienda putas? Hic cordatis servile pecus audiet, qui nullo veri falsiq; habito discrimine, promiscua quæque credit. Ille

(a) *Arist. l. 1. Soph. Elench. cap. 1.*

(b) *apud Lactant. l. 2. de Orig. err. c. 3.*

(c) in libell. de
instit. hist.

Ille contra caudex, qui nulli rationi suam addicit fidem. Medium tenere, tutum. In lectione historiarum debemus esse, quales Aristoteles vult esse, ἕτεροι πάντες πιστεύοντες, ἕτεροι πάντων ἀπιστεύοντες: Nec pueri, nec senes; nec nimium faciles ad credendum, nec nimium difficiles. Optimè *Franciscus Balduinus*: (c) In lectione historiarum, inquit, adhibere oportet iudicium & delectum, ut neque confusè (quod quidam faciunt,) vera cum falsis repudiemus; neque rursus temerè falsa cum veris complectamur. Nam sicut fatua est temeraria & nimia & facilis credulitas: ita est quaedam nimium morosa, nimiumque diffidens ἀπιστία. Quae quidem, nisi faceat, nullum ulli historiae locum relinquet. Et verò non ingenui, sed impudentis atque praefracti hominis est, etsi quid probabiliter dicatur, quod & gravem autorem testemque habeat, tamen id contumaciter, tanquam falsum repudiare; cum quidem, neque quod affirmatur refellere, neque cur illud repudiet: causam dicere possit.

(d) lib. cit.

(e) part. 3. cap.
1. pag. 177. &
178.

(f) c. 2. p. 191.

(g) c. 3. p. 199.
seqq.

§. II. Sed ad liberorum Hamelensium egressum. Parum aberit, quin à *Mart. Schoockio* gravissimè reprehendamus, ad lydium lapidem si rem examinemus omnem, ac contigisse defendamus. Non enim falsi modò arguit eundem, sed (d) ut haustam etiam de face quasi fabulam eliminatum ivit. Arietes, quos in-
torquet, tales sunt: Quia (inquit (e)) ejus rei altum est silentium non solum apud scriptores coetaneos, eosque Germanos; verum etiam illos, ex eadem regione oriundos, qui duobus proximis seculis vixerunt. Præterea (f), ea proponit, quae omnem fidem excedunt, ad-
versanturque non minus naturæ Dei, quam iudicio omnium, qui unquam inter homines meruerunt censerì. Postremò urget, (g) hanc narrationem niti principio per omnia falso. Hæ illius rationes. Quæ, an eâ sibi, quâ par est, ratione constant, indagandum.

§. III. Antè verò, quàm examini nos accingamus, quædam prælibanda. Nempe in historiae particularis investigandâ veritate, de rei gestæ materia, de circumstantiis & Scriptoribus attendunt probè. Haud merentur fidem, quæ fidem omnem excedunt. Quæ excedunt minùs, trahi tamen in diversum solent, non negantur protinùs sine ratione. Exiguntur potiùs ad temporis

poris lineas, ad definiti loci & personarum circumstantias quàm accuratè. Inquiritur in discrepantias. Quæ si forsan sint enormes, hæsitacionem faciunt scrutatori; sin minus, veri spem. Jamque evolvuntur annalium monumenta; jam Historicorum ponderantur nervi. Hi ordinis non unius. Alii *αὐτῶν καὶ ἄλλων* *ἀπὸ τῶν πρῶτων*, adjutores juxta & spectatores actionum; alii tantùm *ἀυτῶν*, seu auditores. Neque enim potest fieri, ut, quas narrant gestas res Historici, iis omnibus intersint. Posteriores sunt vel coætanei, vel minus. Oculati testis fidem magnæ æstimant, minoris auritorum, imò sæpè nihili. Auribus quippe interdum quid dedisse illos, & projectæ ad mentiendum audaciæ fuisse, constat. Unde oculatum testem unum præferunt auritis decem (h.) Nos auritis omnibus non omnem fidem derogamus. Imò verò his ipsis plerumque acquiescendum esse judicamus. Si tamen aut è fide dignis aliorum relationibus, aut, quæ his præferri solent, ex edictis, publicis testimoniis, monumentis denique, & aliis, quæ in Archivis solent recondi, sua desumserunt. Nimirum, publica documenta non patiuntur temerè se proscribi; utpote res in posterum proditæ (i). Publicis monumentis plus tribuere *Naucerus* svadet, quàm historiarum Scriptoribus. Hinc è testibus secundæ notæ (k) adducimus non paucos, qui ad monitum *Plutarchi*, quæ à Scriptoribus omissa, memoriæ tamen beneficio conservata fidem merentur, percontando audiendoq; perceperunt. (l.)

§. IV. Positis his ita, negamus *Schoackio* modestè argumenti primi propositionem. Non minus enim juris sacerdotibus, quàm studiosi veritatis historicæ, suis aptant usibus hunc Logico-
rum Canonem: *A Testimonio humano valet quidem argumentum affirmativè ductum, ne utiquam verò negativè.* (m.) *Bellicosi* (inquit *Fabricius*) (n.) & rerum gestarum magnitudine clari erant Majores nostri (Germani): sed nullos habuerunt scriptores. Sic de Assyriorum Imperio *Steidanus* (o): *Fuit baud dubiè seculum, illud prorsus Heroicum, & rebus excellentibus ac memoratu dignis ad-*

(h.) *Plaut. in Trucul.*

(i.) *Frontinus J.C. lib. 7. Inst.*
(k) *Senec. lib. 4. nat. quest. c. 3.*

(l.) *Plutarch. in Demosthene.*

(m) *Melanch. lib. 4. Dialect.*

(n.) *in Itin. Argent.*

(o.) *Prefat. l. de 4. summs. Imper.*

C

modum illustre: Sed quot a pars eorum ad nos demanavit? Multa
(p.) Crantz. *scripta non sunt, quæ tamen facta sunt.* (p.) Deinde, risu dignum
lib. 3. Saxon. videtur mihi quidem illud ratiocinium, quod silentio nititur eo-
c. 25. rum scriptorum, quos scripsisse unquam non demonstrari potest.

(q.) in Tract.
de conjug. Cle-
ric. p. 475.

Accedit, quod sæpius post secula duobus plura demùm ad nos per-
veniat rei gestæ notitia. Proin non displicent Calixti Senioris
verba. (q.) Si nullus (inquit) autor, nisi ἀυτόπτης rei gestæ ὄψυχο-
v. & fidem meretur, & quicquid ad nostram notitiam non nisi india-
cio scriptorum ducentis annis re gestâ recentiorum pervenit, incertum
est: incerta erit potior pars universæ historiae, cùm Ecclesiastica, cùm
civilis. &c. Præter Scriptores alia adhuc superesse possunt gestæ
rei indicia. Testimonia nimirum & monumenta publica. Hinc
apparet insufficiens enumeratio partium. Supplemus Proposi-
tionem, & limitamus hunc in modum:

*Cujuscunque rei non modò altum est silen-
tium apud omnes Scriptores populares
& vicinos, quos aut eodem, aut proxi-
mis ab hõc seculis, seu Annales, seu Hi-
storiæ, seu Chronica denique condidif-
se ostendi potest; verùm etiam nec a-
liud documentum, indiciumque, publi-
cum in primis, suppetit; ea velut fidei
nullius rejicitur.*

Atque historia Hamelensis non modò &c.

Ergò.

Ma-

Majorem, omni quidem difficultate nondum carentem; *Schoockio* interim concedemus. Quod enim Scriptores popula- res ac vicini, quos aut eodem, aut primis ab hoc seculis scripsisse constat, non crediderunt literis; quodve nec alio extantiori monumento ἀξιόμιστοι testes alii adstruxerunt; id, tanquam certum ac infallibile à recentioribus proponi nequit. *Scriptores enim veteris ætatis*, (inquit *Canus*, (r)) *non omisissent rem, si scivissent; scivissent verò, si fuisset.*

(r.) *Melchior Canus libr. II. Locor. Comm. cap. 5.*

Assumptum paulò altiùs indagemus. Silentium, sive negati- vum testimonium, ut vocant, scriptorum, συγχρόνων potissi- mùm, urget *Schoockius*. Igitur in tempus, quo putantur floruisse, inquirendum. Incidit, si potiora suffragia æstimemus, exitus li- berorum Ham. in annum à Natali Christi millesimum, ducente- simum, octogesimum secundum aut quartum; sicq; ad tempora *Rudolphi I. Habsburgensis Comitis* referendus est. Hic autem, post interregnum illud diuturnum A. E. C. 1273. primus Imp. ele- ctus à Septemviris. Qui tunc Scriptores claruerint, eruditis notum. A *Caroli M.* tempore ad *Petrarchæ* ætatem, h. e. à Sec. IX. usque ad XIVti medium, altam & quasi Ægyptiacam ignorantia noctem universo ferè terrarum orbi incubuisse, ipse dicit *Schoo- ckius*. (s.) *Caroli genere (Vossius conqueritur) extincto, quod de- cimo à Christo seculo fuit, propè omnis eruditio ab orbe est profligata: totisq; annis quadringentis delituit crudeli multata exilio. &c.* (t.) (t.) *Gerb. Job. Hæc si vera sunt, quorum Historicorum silentium urgebis? Con- queruntur summi viri & hodiè illud literarum fatum: causam quippe, inter alia, non propagatæ ad posteros, non perfectæ Ma- jorum nostrorum historiae. Sed, omisissis querelis, progrediamur, Seqviora secula, ne prorsus nihil, saltem rudera gestarum rerum, ad nos sunt passi redundare. Alii Helinandum, monachum Gal- lum, & Mattheum Parisiensem; alii Conradum à Lichtenaw, Ab- batem Urspergensem laudant. Nonnulli afferunt Vincentium Bel- lovacensem & Martinum Polonum. Schoockius hujus appendi- cem, & illius Paralipomena; maximè verò Colmarienses monachos*

(s.) l. c. p. 186.
(t.) Gerb. Job. Vossius in præ- fat. libror. de vitiis sermonis latini.

appellat. Nullam hi narrationis nostræ fecerunt mentionem. Deficit horum testimonium. Sed quid tum? Nequicquam officit silentium istud. Dabo rationes. Pars exteri fuere; pars Germani, & ii quidem non vicini, ne dicam populares; eoq; Hamelenfium incuriosi rerum. Alii ante factum, desiere. *Helinandus* A. 1212, *Matthæus Paris.* ante A. 1260, *Bellovacensis* A. 1244. suæ finem historiæ quisq; imposuerunt. *Urspergensis* Chronica in A. 1229. *Poloni* in 1278. desinunt *Annalium Colmariens.* conditores, non est, quòd tantoperè crepet *Schoockius*. Crediderim ego, illos de Ducatu Brunsvicensi ne cogitasse quidem. Quinimò plura, quæ in Alsatia (cujus urbs Colmaria est) confiniis gesta esse liquet, perneganda forent, stante hâc collectione. Quod, vel solis Norimberg. collatis Chronicis MSS., satis innotescet. Ex illorum numero, quos proximis vixisse dicit seculis, primum sistit *Wernerum Rolevinck à Laer*, autorem fasciculi temporis; alter *Tritemius* est, tertius *Canonicus Hamburgensis* (u.) Ille natione Teuto, patriâ Westphalus (x.) A. 1464.; *Iste*, Abbas Spanhem., Conditor *Hirsaugiens.* & *Spanhem.* Chronicorum A. 1502. desiverunt: hic ad A. 1520. hist. Saxoniam continuasse dicitur. Post alia aliorum Chronica & Scriptores *Aventinum* addit & *Münsterum*. Atque hi præcipui Scriptores sunt, à quorum silentio deductum argumentum. Verùm afferendi erant testes inter alios non vagi ac anonymi, sed populares aut planè domestici, qui seculis scripsissent primis, & de re tacuissent tamen: *Scilicet hic probandi modus Schoockii*. Allegandos omittit. Omittendos obtrudit. Vetera monumenta negligit. Recentiores quod concernit, ipse, si silent, loquitur: sin loquuntur, tacet. Nos contrà in priorî sectione testes laudavimus recentiores juxtâ & veteres. Scriptores, inquam, non solùm exteros, sed vicinos etiam, sed populares, imò inquilinos citavimus. Antiqua monumenta, eademq; domestica, quæ signum historiæ non obscurum dant, itidem adducta. Ostendi potest præterea, sicut & mox ostendetur, Hamelenfes olim *Annales* condidisse & *Chronica*, nec de egressu isto ta-

(u) loc. c. p. 180. seqq.

(x) ut testatur *Job. de Tritenheim Comm. de Script. Eccles.*

cuisse. Excidit igitur Argumenti primi Major sine ictu; corrui-
Minor; Conclusio evanescit.

§. V. Persequendum esset momentum ordine secundum.
Sed ὕστερον πρότερον commitemus. Secundo tertium præpone-
mus; & ultimum primo subjungemus ob affinitatem. Ita
verò conceptam mentem, ita terminos collectos videas.

*Narratio, quæ nititur principio per omnia fal-
sò, pluris non debet fieri, quàm trivialis quæ-
que fabula. At talis hæc ipsa est, quæ cir-
cumfertur de pueris Hamelensibus. Ergò.*

Negatur hîc *Assumptio*. Confutatio rationes dabit. Scili-
cet, sistendum rursus fundamentum, Testimonia, quæ non una.
In προσωπικά & πραγµατικά Logici dispescunt. Nos superius
ex ordine utroque nonnulla adduximus. Hîc saltem eadem re-
petemus & æquâ lance expendemus. Prodeant itaq; , quos *Señ.*
Prior. §. III. IV. V. & VI. stitimus, Scriptores: causam pro nobis
dicant. Quidam enim incoluerunt, quidam accoluerunt Hame-
lam. Multi visum eò sunt profecti. Quorum quisque non in-
feruissent certè suis exasciatis scriptis historiam, nisi solidis fun-
datam rationibus deprehendissent. Doctæ consensus multitudi-
nis non rarò auctoritatem attulit. Quod apud multos (*Tertul-
liani* (y) *verba sunt*) unum invenitur, non est erratum, sed tradi-
tum. Tria sunt, quæ hîc urget *Schoockius*. *Narrationem aliquot
seculis, post quàm esset gesta, annotatam esse. Non posse adduci li-
quidum documentum. Historicos sepè falli, dum alii aliorum errore
ducantur. Ad primum paulò antè notavimus, post secula duobus
etiam plura res maximas in historiæ acta relatas demùm esse. Nec
tamen illicò id sine indagine ac fundamento susceptam fuisse, e-
vincitur. Res gestæ, sive narrentur, sive non narrentur, semper
sunt gestæ, ac propterea historiæ (z) *Non allegari documenta posse,
quæ fidem mereantur, falsissimum. Contrarium mox patefiet.**

(y) *lib. de præ-
script. advers.
hæret.*

pag. 185.

pag. 210.

(z) *Gerb. Job.
Voss. c. 4. ar-
tis hist. Conf.*

*Hi- m. Schoock,
pag. 190.*

(*α*) *Nicod.*
Frischlin.
Metb. hist. p.
83.
pag. 179. & 189.

* *Sic testatur*
ipse initio
Chron. Brun-
swic. in Cata-
logo autorum.

Historicos verò saepe falli, probari in thesi potest, improbari in hy-
pothesi. Ecquid enim alii illi, quorum errore nostri essent
ducti? Sanè paucissimi citant scriptores alios. Ad urbem ipsam
potius, & quæ habentur ibi, monumenta, omnes ferè provocant.
Qui, si non singuli, plerique tamen, ac ii celebriores, in omnia pe-
nitissimè inquisiverunt, atque id curarunt unicè, ne quid falsi for-
tean lectori propinarent. Nec tamen ideò erroris hos statuimus
expertes prorsus. Quin cum Frischlino fatemur, vix ullum histo-
ricorum reperiri posse, etiamsi Soli quærendus tradatur, in quo
*non labecula aliqua deprehendi queat (*α*). Igitur frustra Schoock*
est, dum subdit, aliquid fidei inesse posse huic narrationi, si ex
Scriptoribus Germanicis, qui ex fide dignis monumentis recon-
ditos thesauros patriæ historiæ, etiam annis aliquot. post erue-
runt, vel unus pro eadem staret. Enimverò testes Germ. uno plu-
res jam produximus. Addidimus populares etiam, imò domesti-
cos. Ut Hondorffium, Lossum, Fincel. Selneccerum, Calvis. Cluve-
rum, Camerar. & reliquos silentio prætermittamus; quis Wierum
refellet & Nullejum argumentis gravibus? Uterq; fuit Hamelæ:
uterque monumenta, & quæ firmando huic egressui sufficere pos-
sunt, indicia fideliter excusit. Quis Buntingium redarguat? Qui
Grunavia olim Pastor vix ultra quartum lapidem Hamelâ aberat,
*omnis generis subsidiis instructus. * Aliud hanc in rem, præter*
allegata, documentum suppetit. Vetus nempe Saxon. Chroni-
con. Crepat Schoockius identidem exterorum Chronica; hujus
ne meminit quidem. Causa fortè, quòd non, ut illa, sileat.

§. VI. Reliquos allegatos suprâ si testes conferamus, unâ
omnes mente ac voce hîc consentient. Asservatur in Archivo
Hamelæ pervetustus liber. Is historiam notatam rubricâ, &
presius descriptam exhibet. De Rhythmis, quos Kornmannus af-
fert, verbum non faciam. Verùm, quâ ratione exarmari possint
antiquissima Hamel. Chronica, & destrui versus cum præfatione
sua in Bonifacii Cœnobio, non capio. Hæc atque talia enim non
annotari temerè, nec frustra asservari, cordatus quisque judicat.

Schoo-

Schoockius contra ea aut surdâ aure præterit, aut rejicit indictâ causa. Ast! hic scrutator veri, nescio quis, mihi insusurrat, *Poetas non posse esse idoneos historiarum testes.* Rectè: sed nonnunquam saltem loquuntur ficta mansuetiores Musæ; nonnunquam vera dicunt. E Comœdiis, Tragœdiis, cæterisque, quorum plerumque fingi argumentum solet, (β) hominum hoc genus non debet æstimari; si aliquando etiam res gestas verlu ornat memoratque. Quis aspernatus unquam est historiam Cæsaris, *Ausoni*? Quis *Lucani* aciem Pharsalicam rejecit? Nempe metro etiam contexi potest veræ historiæ narratio. Sed videamus nunc, utrum auctores fabularum in scenam produxerimus. Latinos in Cœnobio versiculos, si ad styli indolem, ad præfationem, & alia attendas, mendaci cerebro jure tribues nequaquam. *Hamelense Chronicon*, quod sistimus juxta & urgemus, non commentum, non poëma est. Enimverò, non fabulas Auctor ejus, sed historias, juxta seculi genium, rhythmis scilicet, pertexuit. Temporis etiam locique circumstantias pensi accuratè habuit. Ex *ἡγεμονίας* aliis sat idem innotescit. *Κηροφύρατον* tamen in auctore quærit *adversarius*. (γ) Dicit ipsum fabulatorem monachum fuisse. Hinc excusat Hamelenses, quòd existimatione religiosi decepti, quæ in Annalibus rhythmicis ejus invenirent, velut historiam, non modò reverà gestam, sed ut oraculum etiam receperint. Ast, unde constat *Schoockio*, monachum fuisse *Chronici* auctorem? Vel, si fuit, quâ evincet ratione, mera illum mendacia & fabulas confarcinasse?

Esto verò, fuisse monachum, &, ut ipse quidem ait domesticum. Annon igitur tutò nitentur ejus fide? Potuit sanè præ aliis instructus esse subsidiis ac monumentis variis. Atque instructum etiam fuisse, vel ex solo narrationis præloquio innotescit. Ut eunqve sit, infans sine dubio non fuit, qui promiscua quæque crederet liberaliter, sed potius vir, qui prius judicio expendit, quàm approbaret quicquam. Quin, quòd libri inspectio edocet, falsam confutavit opinionem vulgi. Vanum verò, excusare *Hamel-*

(β) *Conf. Magni Casauboni animadvers. ad Arthænum l. 6. c. 7.*

(γ) pag. 243
245. & 249.

lenses, quasi auctoritate monachi deceptos. Non opus excusa-
tione illâ. Affines culpæ non fuerunt. Auctorem Chronici in
monumentis & iudiciis, quæ Senatus populusq; tunc suggestit,
non in Chronico hoc illos locasse fundamentum narrationis, pro-
pius fidem est.

§. VII. Pergimus ad *Annales*. Hos *Schoockius* nunc di-
cit, verisimile esse, non extitisse prorsus negat. (d) Audiamus ra-
tiones. Quia, inquit, hodiè eos nusquam inveniri posse, fateri co-
gitur ipse *Erichius*; nec ullum eorundem vestigium superest. *Erichii*
libellum pervolvi. Per volventi (e) hæc occurrere verba :
Weiln es heist / non esse cujusvis arcana Reipubl. scrutari, als
habe ich mich eben umb solche *Annales* nicht hoch zube-
kummern / Et paulò post. (f) Wo solche *Annales* seynd
hinfommen? Ob Sie durch einigen Zu-oder Unglücks-
Fall verdorben und verlohren worden? oder wie es
sonst drumm stehe? laß ich andere fragen: Ich sage
mehr nicht / als daß es möglich sey / daß solche urkunden
vorhanden gewesen / und noch vorhanden seyn. &c.
Hic vir clariss. quod optabat, minimè impetrat. Demus tamen,
non inveniri amplius *Annales*, nec vestigia illorum superesse. At-
qui verò multa *Livii*, *Sallustii*, *Ciceronis*, *Seneca*, &c. nusquam gen-
tium apparent hodiè. Scripta etiam alia, & non pauca biblio-
thecæ interciderunt, ac varios subière casus. Quis posset verò
dicere, hæc & talia non olim extitisse? igitur ratio ficulnea, vel
potius nulla est. Quid? quòd contrarium evincunt testimonia:
Allegantur *Annales*. Sic inter alios *Wierus*; Hæc, inquit, ita in
annalibus conscripta, *Hamelæ* in Archivis religiose custodiuntur.
&c. *Kornmannus*: quidam referunt ad 22. diem *Julii* errore quo-
tro annis Re- dam, ut *Vicentius Sturmius*, &c. Nam in *Annalibus Hamelæ* ad hunc
Etor, in Pro- (26. Junii) diem annotata est hist. &c. *Lucas Lossius*: (n) *Annales*
gramm. Conf. factum veteres testantur in urbe &c. *Hannibal Nullejus*: (θ) urbs
Erich. p. 34. *Hamelæ*, tuis annalibus erue, censum Ter denos pueros abstulit arte
Magus

(d) l.c.e.3.pag.
199. seqq.

(e) pag. 106.

(f) pag. 107.

(n) qui vivo-
desit A. 82. sup
sec. teste Bu-
cholzero in
indice chrono-
log.

(θ) Scholæ Ha-
mel. multis re-
tro annis Re-
Etor, in Pro-
gramm. Conf.
Erich. p. 34.

Magnus. &c. Lonicerus in versione Hondorffii: historia in Anna-
libus civitatis annotata & scripta à multis præclaris viris est lecta.
Hi & alii fide digni viri contra unum *Schoockium* insurgunt. Si
igitur, ut rectè Bellarminus (i) monet, plus creditur tribus testibus
affirmantibus, quàm mille nihil dicentibus, modò isti non negent, quod
alii affirmant: siq; juxta adversarium, (x) unius scriptoris Ger-
manici, qui instructus fide dignis monumentis fuit, suffragium,
hîc sufficit, salva res est. Annales ergò, sive adhuc extent, sive
minus; extitisse tamen olim, certum.

(i) lib. 2. Pon-
tif. c. 8. Resp.
ad arg. prim.
(x) l. c. pag. 179.
& 189.

§. VIII. *De Epochâ* adeò non laborabimus. Dicemus
verbò, quod res est. Qui ab educatione liberorum ad hunc usque
diem subscribendi morem apud cives valuisse, opinantur, falsò
opinantur. Neque tamen ex hoc inferre licet, quòd antiquiori-
bus seculis, vice Epochæ, infelicem istum casum Hamelenses non
censuerint. Conjunctim Annum Christi & exitus liberorum,
in scriptis publicis veterem Magistratum, testantur se-
rii scriptores. Hos, si dicis causâ id finxisse dixeris scriptorum,
plerorumque auctoritatem tolles. Præterea luculentum, si non
Epochæ, egressus tamen indicium suppeditat, insculptum portæ
Distichon:

*Centum ter denos cum magus ab urbe
puellos*

*Duxerat ante annos CCLXXII. Conditæ
porta fuit.*

(i. e. A. E. C. 1556. si pro certo habeas, rem incidisse in Annum
1284.) Hîc, quod regerat, vix habet *Schoockius*. Ne tamen nihil
dixisse videatur, excipit: (λ) aliquem ædilem improvidum &
veri incuriosum curasse distichon ejusmodi insculpi saxo. Ast,
quis non videt, temerè privato, ignoto, improvidoq; & malefa-
no homini (sic depingit ædilem suum ἀτυλέγων) vendicari in-

(λ) pag. 202.

D

foli.

solidum, quod senatui & populo debetur. Nos amplectimur, quod vero est similius. Non extrueret moenia architector: non architectaretur turres, portas non conderet injussu Magistratus: nedum rem futilem in Senatus & totius civitatis præjudicium, extractis insculperet animi gratiâ: Vel tamen, si insculperet, citra dubium erasâ mox sculpturâ, pœnas daret.

§. IX. Cæterum communis famæ constantiam, quam *Eri-*
ebius advocavit, mirum quantum *Schoockius* exagitat. Non re-
jiciendam illicò censemus eam, haberi ubi potest. Nunquam
enim falsis constantia est: variantur & disident (μ). Famæ re-
rum standum, quando certam derogat vetustas fidem. (ν) Non
enim semper errat hæc, aliquando etiam eligit (ξ). Interim non
tâm rumoris constantiam, quàm constantiæ fundamenta & præ-
sidia æstimamus pariter ac urgemus. Eoqve dicimus, de seculo
in seculum, de manu in manum propagari inter Hamelenses &
transferri historiam hanc de facili potuisse. Ambages fallendæ
fidei exqvirit *Schoockius*. Atqve nos hõc loco exspatiari posse-
mus, ostendereqve ejus vanitatem. Sed nolumus denuò verbo-
rum esse prodigi. Saltem opponimus excussa hæctenus monu-
menta. Et fatetur ipse, (σ) jam ante secula aliquot cusum fuisse
nummum, in quo repræsentatus egressus puerorum. Auderet
privatus capitale, si euderet argentum. Soli enim potestati
summæ jus circa monetam competit. Quod si exercent civita-
tes, illi acceptum ferunt. Judicet hinc, si vir est, *Schoockius*, u-
trum privato alicui, an integræ Hamelensium Civitati sit tribu-
endus nummus? Deinde vel sola templi, quod foro adjacet, fene-
stra memoriam rei propagare potuit, in quâ historia cernitur de-
picta cum inscriptione. Instauravit eam Anno 1572. *Fridericus*
Poppendik, COS. quod, præter alios, *Buntingius* restatur. (π) Ad-
versarius primùm de tempore est sollicitus, quò pingi cæperint
fenestræ. Dehinc pronunciat pro certo, (ρ) non receptum fuisse
fenestras vitreas coloribus imbuere, ante Ann. à nato Redempt.
1400. Sed præter verba affert nihil. Non vacat jam inquirere
in rem obscuriorem. Interim fenestram circa illud tempus asse-
re-

(μ) *Senec.*
ep. 11.

(ν) *Livius*
lib. 7. cap. 6.

(ξ) *Tacit.*
Agric. c. 9.

(σ) *pag. 125.*
& 29. l. cit.

(π) *in Chron*
Brunsvic.
part. 3. p. 52.

(ρ) *l. c. p. 218.*

remus eousque pictam, donec contrarium probetur. Restabit
unum seculum, quo conservanda erat rei memoria. Hanc, non
dico, Avi, sed patres *ὄνυχρονοι* filiis, filii nepotibus tradere po-
tuerunt. Quid verò Noster? Ad monachos more suo delabi-
tur, quos mendaces picturæ fingit auctores. (σ) Sed fingit. Ec- (σ) pag. 219.
quis enim credat, hanc unam, quæ in loco publico, & eo etiam
sacro, deprehensa est, picturam cum inscriptione, omnium oculis
fallendi causâ expositam fuisse? Sanè, si fuisset, non facile eam
proceres tolerassent, nedum reparassent, sed destruxissent potius.
Scilicet certis auctoribus & indiciis rem habebant compertam.
Aliud verò judicandum de picturis statuisq; Pontificiorum. Qui
superiori & præsentem, seculis innumerata templis illeverunt; quæ,
si careant fide digno teste, flocci non fecerim. Sed missis horum
affaniis, alia expendamus. *Historiam*, Reusnerus inquit, *et si om-
nes circumstantie ornant & illustrant: loci tamen ac temporis ac-
curata notatio tantam historie lucem affert, ut non modò rerum, quæ
narrantur, auditores, sed & spectatores esse videamur* (τ). Sic Ha- (τ) Elias
melenses, recentiores quoque, egressus toties memorati non tan- Reusnerus
tùm auditores, sed spectatores etiam videri possent. Vicus, per in Append.
quem ductum puerorum agmen, ab eventu olim dictus est die isag. bist.
Bunge Iose Straß/i. e. in quo tympani sonitus non admittitur,
& quod mirari subit, nec aliter hodièq; dicitur. Qui, quò portæ
propior, eò seductori commodior. (υ) Calvaria montem, non (υ) Conf.
procul urbem Orientem versus situm, oculis semper tenuerunt, Wierus Sect.
atque adhuc tenent cives: quem via regia Hannoveram ducens pr. S. III. cit.
distinguit. Geminus ibi in forma crucis datur lapis, alter à & Erich. p.
dextra, à sinistra alter. Hi in sempiternam facti memoriam à 55 lib. cit.
coætaneis erecti Majoribus creduntur (φ). De temporis nota- (φ) Erich.
tione tantò minus dubitamus, quantò probabilius, tam stupen- p. 100. & 101.
dum casum vel à privato quoque literis cosignatum esse. Et
quid diutius his immoramur? Nisi *ὄνυχρον* antiquitas, & qui
proximò deinceps seculo vixerunt, tristem liberorum jacturam
posteritati consecrassent; nisi, inquam, æterna ipsi monumenta
statuissent, certè, qui post ætatem exegere, nummis, lignis, lapidi-



bus historiam non impressissent: elapsos à fatali egressu annos, dum A. 1556. portam conderent, non percensuissent numerando: picturam veterem in fenestra Templi non adduxissent in aspectum: adductam A. 1572. non instaurassent: historiam A. 1608. inscriptione novâ (quæ in Saxo ædificii publici hinc Pharmacopolium, illic Oenopolium spectantis, habetur,) denuò non comprobassent, nec hodiè crederent comprobatam. Fidi igitur testes pro narratione stabant. Accedebant Annales, Chronica, ac monumenta plurima. Hæc qui non capit, bardus sit, aut correptus libidine rixandi. Tantum ad tertium argumentum Schoockii,

(χ) l. c. cap.
2. pag. 191.

§. X. Succedit medium, reservatum fini. (χ) *Quæcumque narratio historica ea proponit, quæ omnem fidem excedunt, adversanturq; non minus naturæ Dei, quàm iudicio omnium, qui unquam inter homines meruerunt censori: illius fides jure summo in dubium vocatur. Atque sic jure summo existimes de hæc narratione historica. Ergo.*

(ψ) pag. 192.
seqq.

Primò, ut pateat, quàm liberalis sit, duo concedit: Nempe ex indultu Dei, susurrò magicò muta animalia ductari, ac si ratione gauderent; & terram vivos homines absorbere posse. Utrumq; probat, (ψ) probatu facilimum. Mox exponit rationem Minoris. Quia, inquit, ex hac puerorum educatione sequitur, Deum ob personale parentum peccatum (non solutam scilicet, Mago iniquam mercedem) adeò indignatum fuisse, ut potestatem faceret diabolo abducendi infantes eorum liberos. Rem paucis hinc expediemus. *Conclusio* non est directò contrariòs. In Quod enim vocari potest in dubium, non statim fabula est. Quantum ad *Majorem*, dist. inter τὸ εἶναι καὶ δοκεῖν, seu inter id, quod reverà se ita habet, & quod saltem apparenter. Si illud; concedi potest *Propositio*: Sin hoc; negatur. Enimverò, multa facta sunt in rebus naturalibus & politicis, quæ, antequam fierent, fidem omnem excedere videbantur. Et fateatur Schoockius, (ω) plurima

(ω) lib. cit.
parte 2. c. 18.
p. 145.

videri incredibilia, quæ certissimè contigerunt. Addit etiam, hi-
stóricos sæpè rem, ut incredibilem, referre, quæ tamen verè con-
tigit. Exempla subjungit. Plura Sacer Codex, & qui scribendis
historiis studia impenderunt, suppeditare possunt. *Assumptum*
est apertè falsum. Nam quæcunqve res reverà sic est comparata,
non consecratur ad perpetuitatem; non asservatur in Archivis;
saxis, lignis. &c. non insculpitur; non propagatur per secula;
non recipitur tanto scriptorum consensu, nedum, defenditur.
Atqui verò Narratio hæc consecrata est &c. Ergò.

In Ratione, quam addidit, notamus inconsequentiam; de-
sideramus quoque probationem. Si conducto ad eliciendos gli-
res tibicini non soluta merces fuit, quis ideò, præter Schoocki-
um, ad hoc motum esse Deum finxit? Vel sexcentas causas, cur
evocari pueros pateretur, sanctissimum & justissimum Numen in
numerato habet. Miramur eas, non rimamur. Sic enim *Justi-*

nus Martyr: (aa) ἡ γὰρ τῶν ἡμετέροισιν ἐν θυμῶμασι μετρεῖν τῶ
Θεῷ τὰ ἔργα. Ἰππὲς ὄντων γὰρ καὶ ἀδύνατον καὶ λόγον τῶ Θεῷ τὰ
ἔργα. Quot pueri innocentes, quot infantes in cunis vagientes, *(aa) in Grae-*
car. quest.

terra motibus integras sæpè urbes evententibus, miserè obtriti &
suffocati sunt? quot grassantibus bellorum lanienis crudeliter
trucidati? In *Corachi, Datanis & Abirami* familiis etiam infan-
tes erant. At vero & hi cum parentibus à terra sunt absorpti.
Alii necati sagarum incantationibus: Alii auditu, visu, sanitate
eodem privati modò. Multi ab antiquo serpente sic effascinati,
ut Trinunum Deum, cui fidem dederant & jusjurandum, solenni-
ter abnegarent. Nimirum tanta, & quæ auditu horrenda sunt,
permisit Deus, non permissurus, si naturæ, si justitiæ suæ adversa-
rentur. Unum, quod adversarius reponit, superat. *Scilicet in-*
fontes liberos sub terra ad sedes infernales raptos & deductos esse.
Ratio, quia auletem diabolum sequuti à terra vivi absorpti sunt.
Compensabimus hîc liberalitatem *Schoockii* priorem liberalitate
nostrâ. Dabimus ipsi, auletem illum *Cacodæmonem* fuisse. Ast,
unde id firmabit, cum duce suo pueros reverà esse absorptos. Ple-
rique scriptores saltem eos disparuisse ajunt. Vel si etiam absor-
pti essent, quid inde? *Jobi* quoque filii à Satanâ occisi sunt. Ne-

mo tamen condemnat illos. Quo igitur juris titulo Hamel.
pueri æternis suppliciis adjudicentur.

§. XI. Plura non addimus. Ad compendium referimus
dicta. Afferimus contra Schoockium: Permissu justissimi
Numinis, liberos tenerioris ætatis centum & triginta,
A. E. C. supra millesimum ducentessimum, circitèr quar-
to & octogesimo, die Johannis, à prodigioso tibi-
cine quodam, ex urbe Hamela, ad calvariæ collem usque, esse
evocatos, & ad suos rediisse unquam. Quò locorum verò
illi sint abducti tandem, pronunciare non audemus. Conjectu-
ris agere si licet, transvectos in aliam orbis partem, quàm absor-
ptos; malumus. Ad Transylvanos abreptos eos cum aliis Kir-
cherus tradit. Allegat Chronica Transylvaniæ. Sed quæ ignota
Transylvanis. Circa idem igitur tempus exoticæ lingvæ pueros
apparuisse ibi, sit fides penes Autorem. Rem in medio relinquit
Erichius: *Schoockius* contra pernegat. (bb) Objicis, in Transyl-
vania hodieq; receptum esse usum lingvæ Teutonico-Saxonice;
dicis, plurimos ibidem inveniri, qui genere Saxonum natos se
profiteantur, adeoq; nonnisi pueris Hamelensibus hæc omnia de-
beri. Respondet *Schoockius*: è Saxoniâ in Transylvaniam, co-
loniarum subsidio, quosdam olim demigrasse. Dicit etiam cum
Gis. Busbeg. (cc) Cis- & Trans-Albianos Saxones, à Carolo M. in
Transylvaniam, usque ad Tauricam Chersonesum traductos fuis-
(dd) *dec. 1.* se. Idem probat *Anton. Bonficius*, (dd) ubi de pralio, quo Saxo-
Rer. Ungar. nes Carol. M. fregit. Unde, non solum, inquit, abducti obsides,
libr. 9. principum filii: sed ut eorum vires honestius extenuarentur, multa
quoque ex his in Daciam, Pannoniam, diversasq; regiones deductæ
solonia, quarum adhuc innumera Sarmatiam, ulterioremq;
Daciam incolunt. Nos hinc *Schoockio* assurgi-
mus; & cum eluctati tandem
simus, decan-
tamus

SOLI DEO GLORIAM.

Ad

(bb) cap. 2.
pag. 196.
segg.

(cc) Epist. 4.
legat. Turc.
(dd) dec. 1.
Rer. Ungar.
libr. 9.

Ad

Egregii speciminis doctissimum Autorem,

**DN. NICOLAUM NIE-
REMBERGER,**

Variscum,

Propter pietatem & valituram in Exempla dili-
gentiam, Amicum per dilectum :

Huc usque Lingvis dedite sedulo,
Humaniorum tum studio vacans
Perchare NIEREMBERGER, alma

Ingenii meliores audes

Nunc experiri munera publicè?

Factum bonum! certè auguror exitum:

Ad celsa Parnasi Pater te,

Ducet Apollo, caputq; cinget.

*Boni ominis officij, causâ
scr.*

GEORGIUS CASPAR KIRCHMAJER,
Eloq. P. P.

Ad

Ad

Pereximium ac literatissimum

AUTOREM RESPONDENTEM,

Amicum Optimum.

N*on vigiles curas loquar hîc, non mentis
acumen,*

**NIERMBERGERE, tuæ. Res probat
ipsa virum.**

Indole de clarâ testatur pagina præsens:

Certamen doctum plus dabit indicii.

*Annuat huic operæ Numen, reliquasq; secun-
det,*

Et, tibi qui faveant, excitet usq; bonos!

*Gratulabundâ mente manuq;
scrib.*

M. THEOD. KIRCHMAJER,
Fac. Philos. Adj.



Q.K. 398, 38.

HISTO

IN A

LIBER

M. THEO

Fa

NICOLA

Kirche

Ad die

Literis M

S;

TO

LEN-

AIERI

SEN/

l.

gr.

1771
II n
3148

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

